D. D.

Theses,

quas,

Venia Max. Vener. Consistorii Eccl. Lundensis

pro munere Rectoris

p. p.

A. GUSTAVUS SCHRÖDER,

mun. Rect. ad Sch. Landskr. fung., Phil. Mag.

Respondente

CHRISTOPHORO QVIDING,

Scano.

In Academia Carolina d. xvii Junii 1842.

LUNDÆ,

typis excudit C. F. Berling,

Universitatis Typographus,

MDCCCXLII.

Thesis 1.

De vi et utilitate philologiæ classicæ in contrarias partes sæpe disputatur. Illud vero semper tenebimus, studium linguarum antiquitatis, ad rite præparandam eruditionem juvenum cum in rebus civilibus tum in litteris, valere plurimum. Neque tamen hoc studium regulis aut grammaticæ aut rhetoricæ artis, sed impigra auctorum veterum contineatur lectione, sine qua eruditio fere manca nobis atque jejuna videtur.

2.

Fundamentum institutionis publicæ, firmum et stabile, non in formulis, non in libris, non in methodis præscriptis, sed in virtute et præstantia ponendum est magistrorum, sive disciplinis certis sive classibus scholæ singulis præsunt.

3.

Qui, dum rei scholasticæ prodesse velint, formam docendi quandam constituunt, in eo peccant quod scholæ ipsius vim quasi vitalem reprimunt, quæ libere totum per corpus scholæ sese diffundere debet, ut schola integra sit, integri pueri.

4.

In exercitiis latine scribendi primis libenter assentimur iis, qui syntaxin linguæ maternæ, bene perceptam et cognitam, pueris subjectam tamquam materiem volunt, quam tractant et in qua versantur.

5.

Historia et Geographia arctissimo vinculo inter se conjunctæ sunt, ut illa sine hac et hæc sine illa jus suum et dignitatem retinere nequa quam poterit. Igitur, qui in docendo alteram colit et negligit alteram, neutram intelligit.

6.

Quemadmodum in ludo litterario sic in arte gymnastica exercendi in schola pueri, ut ingenii vires et corporis apte et harmonice fingantur atque excolantur.

7.

Vim illam ingenii, quæ in meditando et agendo cernitur, non extorqueri discipulis sed sensim excitari, præceptoris maxime interest.

8.

Unus et idem præceptori servandus tenor disciplinæ; nec enim aliter bene administrari schola potest.

9.

In omni ratione instituendi, sicut fere in ceteris rebus, minus valent præcepta quam experimenta.